

mosca nuper Roma adveniens Proregis mentem de pactis induciis significasset. Itaque copias movit, in Flaminiam transiturus, Cotiniolam oppidum deditioe in potestatem recepit, dein cum ad Forum Livii iter direxisset, Meldolæ fines ingressus, Arni valle emensa, Alpes transgressurus, & in Heturiam descensurus videbatur; ea spe, ut Senenses, qui odio in Pontificem adducti illi favebant, rebus necessariis juvarent, omniumque rerum inopia laboranti exercitui subvenirent. Cum vero maxime Urbinas vereretur, ne Borbonio Flaminiam cum exercitu transeunte, ditionis suæ fines damno aliquo ab hostibus afficerentur, a Senatu petiit, ut ad protegendas Pisauri, & Senogalliæ civitates mille ac quingentos pedites mitteret; utque Guidi Ubaldi filii saluti, atque incolumitati confuleret, biremis, qua Venetias tuto accedere posset, in iis oris præsto esset. Quibus in rebus benigne a Senatu Duci satisfactum est. Ceterum quia in omnium ore jam erat, Borbonium in Heturiam transiturum, quo Florentinorum, Pontificisque rebus prospiceret, Senatus ducem, ac legatum Pesareum, ut cum exercitu Padum pertransirent, incitabat. Nam Urbinas imperator jam copias coegerat, Germanos milites conjunxerat, tormenta bellica paraverat, atque ad Melaræ, Bregantini, & Castrinovi oppida reliquas copias cogere constituerat; ponteque flumini instrato, exercitum trajicere. Verum induciarum exitus adhuc in incerto erat: nam Prorex Roma discedens Florentiam versus proficiscebatur, ut, si fieri posset, Germanos milites ab Ecclesiæ ditionibus amoveret; cum in tot rerum angustiis Pontifex præter pecuniæ, quam solverat, vim adhuc centum, atque amplius aureorum milia persolutorum pollicitus fuisset. Dux igitur, trajecto exercitu, Bononiensium fines ingressus prope civitatem copias admovit: Salassiorum Princeps diverso itinere cum reliqua copiarum parte per Forum Cornelii transiens, inter Ravennatum, & Faventinorum fines confedit: nam cum diu inter foederatorum Duces de bello administrando variis sententiis actum esset, tandem copias in duas sejungi partes placuit; tum, ut inimicos interciperent; tum, ut frumentationis, & pabulationis facultas intercluderetur.

1527

*Urbinas de
suis ditionibus sollicitus subsidia a Senatu postulat.*

*Madata ad
Urbinatam,
& Pesarensi
Legatum.
Proregis
studium, ut
Germanos
ab Ecclesiæ
ditionibus
amoveret.*

*Urbinas in
Bononiensi.
Salassius
inter Ravennates, &
Faventinenses.*

At Clemens, qui antea sibi omnia prospero eventu fluentia